



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VI. Capita reformandae disciplinae digesta: abusus in Missa correcti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

Quapropter satius esse, articulum illum in proximam Sessionem reici, vbi dogmata de Ordinis Sacramento stabilirentur, tamquam ad locum magis proprium, tempusque opportunius, quò, præmissò studio ac trutinâ rei consentaneâ, definitio cum plausu & honore concordiaë confici posset.

8 Osius Legatus, qui suis in libris eam sententiam tradiderat, ipsam placidè tuebatur, obiecta dissoluens, & oppugnationibus quatuor Hispanorum obsistens. Reliqui Præsides existimarunt, repulsam minus claram, magisque moderatam non modò æquiorè, sed etiam solidiorè futuram. Idcirco dixerunt, se morem illis gesturos, dummodò quæsitæ variationi assensus generalis conuentus præiret, sine quo penes Legatos non erat quidquam ex rebus iam statutis mutare. Ita ratione Concilij habitâ Hispanorum appellationem tacitè refellebant, ipsis appellatibus reiectis ad illud idem tribunal, à quo se grauari putabant: quod rescripti genus durissimum accidit litigantibus, & tamen de illo conqueri ipsis non licet, cum idem tribunal non solum est maximè competens, sed maximè potens.

C A P V T VI.

Capita reformandæ disciplina digesta: abusus in Missa correcti.

1 QVò perficeretur Sessionis apparatus, stabilienda supererant disciplina Decreta, & emendandi abusus in Sacrificio. Priorum cura demandata fuerat præcipuè Simonettæ, qui videbatur pro more veterum cautorumque medicorum nonnisi leuia medicamenta præscripturus^a. Proposita capita quatuordecim^b fuerunt, non vndecim, sicuti Suauis narrat. Causa cur postea ad vndecim fuerint redacta, hæc fuit, quoniam duobus ex illis lex apponebatur, pensiones coarctans, ne scilicet in posterum id oneris imponeretur Episcopis, & Parochis, quorum alteri non supra quingentos aureos ex annuo prouentu perciperent, alteri non supra quinquaginta. Sed Episcopi vocabulum pensionis abominati, quippe ipsorum auribus animisque permolestum, negarunt illud sibi adiectâ etiam limitatione probatum iri. Et quamquam opponeretur, à Concilio Lateranensi & Viennensi, & à Tridentino pariter sub Paulo & Iulio pensionum consuetudinem fuisse receptam, non tamen acquieuerunt. Quapropter conuentum est, vt sanctiones ea de re alias ex professo statuerentur. Sed quemadmodum res humana bo-

^a Acta Paleotti.
^b In cœtu 10. Decembris, vt in epist. Vicecom. ad Borrom. eodem die.

1562. nis malisq̄ue permixtæ sunt, & vnusquisque passus damna partis quam sequitur, eam cupere solet quam ipse non experitur, ita tunc vsuuenit. Quare Quinque Ecclesiarum Antistes Orator Ferdinandi dixit, Sibi probatum iri vsum pensionum etiam in Germania, quod viris benemeritis subueniretur, & illis Episcopis nimij luxus materia subduceretur.

e Litteræ Iadrensis,
14. Septembris 1562.

Tertium caput è quatuordecim subtractum, statuebat, vt cause quæ vigintiquatuor aureorum summam non excederent, omnes in prima instantia ab Ordinario cognoscerentur vsque ad latam sententiam. Sed non acquiescebant Episcopi, postulantes, vt idem omnino de cunctis causis decerneretur. Temperamentum propositum est, vt constitutio ad pretium quinquaginta aureorum ampliaretur pro Germanis, qui vt remotiores, ita maiora patiuntur incommoda, dum ad Forum Romanum compelluntur. Verùm obstiterè Actores Piscarij, epistolâ Regis productâ, in qua plurimum commendabat, vt illæ præstarentur ipsius priuilegia pro Sicilia Monarchia, cui aiebant huiusmodi Decretum obfuturum, cum ipsi concedatur, vt omnes causæ cuiusuis pretij in prima instantia in ipso regno cognoscantur. Ita sanctio pendens substitit, & ex dilatione, ingentis fœnoris fructus Episcopis prouenit, quod alibi exponetur. Tunc autem, dum sermo haberetur, vt assolet, de iis quæ Hispaniæ Actores obiecerant, complures Patrum vera non existimabant ea priuilegia, sed à Romanis Pontificibus, cum Siciliam possidebant, Legatis suis concessa, ac postmodum à laicis possessoribus illius regni sibi arrogata. Sed de hoc per incidentem occasionem actum est.

Decreta igitur ex quatuordecim ad vndecim diminuta sunt: & quod præferretur aliqua ratio, habita de iis quæ Cæsar memoratis libellis perpenderat, duo ab illis desumpta sunt, atque alterum in primo capite de morum emendatione positum est, alterum in correctione abusuum in Sacrificio. Horum omnium capitum tenorem describemus perinde ac stabilitus & propositus fuit, iis exceptis, in quibus notabilius variatum est.

- I. In primo renouatæ sunt cunctæ Iuris Canonici sanctiones de vita & honestate Clericorum, ac de prohibitione, quâ ipsis interduntur luxus, comestationes, choreæ, alex, tali, ceterique lusus, ac negotia laicorum, pœnis Ordinarij arbitrio relictis, negatoque appellationis confugio in huiusmodi causis, ad morum correctionem spectantibus.
- II. In secundo præscriptæ sunt conditiones necessariæ illi qui ad Episcopi

Episcopi munus est promouendus, & inter alias, vt ante sex menses in Ordine sacro sit constitutus, vt Doctor sit Theologiæ, seu Canonum, ab aliqua Academia ex merito inter Doctores adscriptus, aut inde testimonium accipiat, se ad eas facultates tradendas idoneum esse. Quæ postrema particula fuit adiecta, ne carentes non doctrinâ, sed pecuniâ, excluderentur; qui post impensum studium in aliquibus Academiis, vbi sumptus ad Doctoris lauream consequendam grauissimus est, gradum illum accipiunt, quo vulgò *Licentiati* dicuntur. Fuit etiam additum, vt Regulæ huiusmodi restitutionem ab ipsorum Moderatoribus subscriptam afferrent. Episcopi Segouienfis, Ostunensis, Lucensis, & Aquensis optabant in eo Decreto, vt ante Episcopatum Sacerdotium exigeretur. Sed animaduersum est, oppositum statui ab Innocentio cap. *A multis*, tit. *De etate & qualitate*, & ab Urbano Can. *Nullus*, distinct. sexagesimâ, quibus satis est Ordo Subdiaconi. Nihilominus adiectum est, opus esse vt hic Subdiaconi character saltem dicto iam spatio præcederet, cum haud satis decorum videretur, vt ad supremum Ordinem Ecclesiasticum ascendat is, cui paulò antea integrum erat ad laicorum statum regredi. Suadebant alij in Episcopo gradum Doctoris, absolutè nixi Pauli verbis ad Timotheum: *Oportet Episcopum Doctorem esse*. Sed illis ostensum est, per ea solum importari habilem ad docendum, quod colligitur ex voce Græca *διδασκων*, quæ id significat, & nihil vltra.

6 Quò caput tertium intelligatur, sciendum est, Lusitanos & Hispanienses exposuisse, in ipsorum Ecclesiis multos esse gradus, quorum possessores nimis liberè Diuinum obsequium negligebant, adeoque oportere vt multationibus è desidia excitarentur. Et quæquam alij contradicerent huic oneri, vt pote in huiusmodi Sacerdotiorum foundationibus minimè contento, existimarunt plerique, ex iure Diuino, & æquitate naturali fructum illorum Sacerdotiorum integrum relinquendum non esse desidum possessorum vtilitati. Medium itaque susceptum consilium, concessâ quidem Episcopis facultate, non tamen iniectâ ipsis necessitate ad id innouandum; quippe quod eiusmodi erat, vt variis in locis à variis rerum conditionibus aut ad id ipsum impellerentur, aut ab eo depellerentur. De forma excogitatum initio fuerat, vt massa quotidianarum distributionum constitueretur pro eo quod paulò antea effectum erat in Ecclesiis, quas *Collegiatis* appellant: sed postea consentaneum visum non est, vt cum huiusmodi dignitatum prouentus sint admodum inæquales inter se, pinguiorum possessor discrimen sub-

1562. iret ingentis iacturæ, ac modici lucri; & ex aduerso tenuiorum possessor plus lucri posset accipere per vnus diei diligentiam, quam iacturæ per complurium negligentiam. Præscriptum igitur est, vt vbi constitutæ iam non fuissent in huiusmodi dignitatibus quotidianæ distributiones, tertiam partem complectentes, liceret Episcopo illas statuere, præscribendo arbitrato suo iis qui Sacerdotio fruebantur, quantum ab illis Ecclesiæ seruiendum esset: quod si omitterent, eo die distributionibus priuarentur, easque ille conuerteret in vtilitatem fabricæ, vbi hæc egeret, aut in aliud pium opus. Si cui verò huiusmodi dignitatum nulla inesset in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata iurisdictio aut administratio, nec vllum aliud munus, sed extra urbem in Diocesi iniuncta illi esset animarum procuratio, cui vellet per seipsum operam nauare Sacerdotij possessor, mansio, huiusque procurationis exercitium efficerent, vt is haberetur perinde ac si illi Ecclesiæ præsens adesset.

IV. Nimis alienum à ratione videbatur, obtineri à compluribus muneribus illorum propria, qui obstringuntur insolubili sacræ militiæ cingulo, trahi que ex illis emolumenta & priuilegia; & tamen liberum ipsis esse, vt ad laicorum vitam redirent, eorum multis aut ad nuptiarum coniunctionem, aut ad armorum exercitationem transeuntibus. Ad hanc laxitatem restringendam, positum fuit in quarto capite, vt nemo Sacerdotium possidens in Cathedrali aut Collegiata, seu non Regularis, seu Regularis is foret, ius suffragij haberet in Collegio, nisi Subdiaconus saltem esset; atque vt ij, quibus ex munere certis quibusdam diebus Sacrificium erat celebrandum, aut Euangelium Epistolæ decantanda, susciperent intra annum, nisi legitime præpedirentur, Ordinem illi ministerio consentaneum, & huiusmodi functionibus per seipsos præscriptis diebus fungerentur; nec in posterum ea Sacerdotia concederentur nisi habenti tum aetatem, tum reliquas habilitates ad illa exercenda.

V. Compertum est, frequenter peccatum fuisse in vsu legum relaxandarum, earumque relaxationes sæpè subtrahi Aulæ Romanæ, rebus falsis pro certis assumptis, atque in opus deduci ab executoribus aut vera parum callentibus, aut parum religionis studiosis, debilitatâ idcirco legum auctoritate, corruptâque disciplinæ integritate. Id materiam quinto capiti præbuit, in quo præceptum est, vt cunctæ legum relaxationes, concessæ locis extra memoratam Aulam, committerentur impetrantis Ordinario, atque vt *Gratiöse*, hoc est, ad forum litigiosum haud pertinentes, non exercerentur re ipsa, nisi prius Ordinarij, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, summam

- matim & extra iudicium cognouissent, eas nec expositione falsi, 1562.
nec occultatione veri fuisse impetratas.
- 9 Ad auferendum aliud simile absurdum, in sexto præscripta fuit VI.
eadem cognitio ab Ordinariis habenda, antequam conficerentur
postremarum voluntatum mutationes adiecto monito, eas non nisi
ex iusta ac necessaria causa concedendas esse.
- 10 Quemadmodum suam quisque iurisdictionem libenter exten- VII.
dit, nonnumquam ambitione, sæpè quoque religionis studio, dum
recti animi sui certus sibi persuadet, à se tutius quàm à quouis alio
commune ius administratum iri; ita non rarò maiores Præsules fi-
nes suos transgressi causas Ordinariis per appellatorem subtrahunt.
Idcirco sancitum est in septimo, vt Legati, Nuntij, Primates, Me-
tropolitæ, ad quos prouocatur ab Ordinarij sententia, obseruarent
sacras Constitutiones, & eam præsertim Innocentij IV. quæ inci-
pit, *Romana*, aliter ipsorum Actis nulla insit auctoritas.
- 11 Ob minorem humanæ pietatis feruorem, compertum erat, pia VIII.
opera, ab iis præscripta qui postea decesserunt, sæpè negligi frau-
darique ab administratoribus. Quò huic malo mederetur, in
octauo imperatum est, vt Episcopi in cunctis casibus à Iure per-
missis huiuscemodi operum executores essent, siue ita præscripta
ea fuerint vt adhuc viuò præscribente vim habeant, siue illo de-
mortuo. Foret in eorum potestate inuisere Nosocomia, Collegia,
Sodalitia laicorum, etiã si *Schola* aut alio nomine nuncupentur,
Eleëmofynarum æraria, vulgò Pietatis Montes, & quæcumque lo-
corum piorum genera, tametsi eorum procuratio ad laicos pertine-
ret: breuiter, quidquid institutum est ad obsequium Dei, ad ani-
marum salutem, ad pauperum alimentum. Huic Decreto restitit
pariter Actor Piscarij^d eo nomine, quòd inde quoque priuilegia
Siculae Monarchiæ læderentur; quare de illo expungendo delibe-
rabatur. Sed quoniam Orator Lusitanus vnà petit^e, vt exciperen-
tur Nosocomia, aliaque huiusmodi loca, quæ sui Regis tutelâ frue-
bantur, in quo negligentia præsumi non poterat per Episcoporum
vigilantiam corrigenda, mutato consilio restrictum fuit Decretum,
adiectâ exceptione omnium huiusmodi locorum, quæ sub ipsius
Regis patrociniò fuissent constituta.
- 12 Multæ quoque fraudes afferebantur in administratoribus pro- IX.
uentuum, qui templis aliisque piis locis construendis destinabantur.
Lex igitur in nono sancita est, vt nullo habito respectu cuiusuis op-
positi priuilegij adstringerentur huiusmodi administratores ad red-
dendam in annos singulos Ordinariis illorum rationem.

^d In dicta
epistola Vi-
cecomitis ad
Berroneum,
16. Septemb.
1562.
^e Acta Pa-
leotti, & eius-
dem Viceco-
mitis litteræ,
17. Septemb.
1562.

1562. Complures scribæ, auctoritate Regiâ, Cæsareâ, aut Pontificiâ 13
 X. constituti, arrogabant sibi idcirco immunitatem ab Episcopo in eo ministerio, ac sæpè comperiebantur inepti, aut aliquo vitio laborantes. Id in causa fuit, vt in decimo cuncti subiecti fuerint examini Ordinariorum, quibus facultas esset aut in perpetuum, aut ad tempus illos ab eo munere in causis Ecclesiasticis remouendi.

XI. Bona, quæ certum dominum non habent, nec similiter certum 14
 obtinent defensorem, adeoque aut violentiæ aut fraudi sæpè subiacent (atque id accidit redditibus Ecclesiasticis, aliisque ad pia opera destinatis) quanto delictum magis allicit facilitate ac utilitate, quantoque Dei gloria, proximi que charitati opponitur, tanto magis necessarium visum est, vt homines horrore pœnæ inde retraherentur. Ea de causa stabilitum est in postremo capite, vt rei tam iniquæ occupationis, siue per vim, aut per supposititias personas, siue alio modo ea bona occuparentur, incurrerent in sacrorum interdictionem, quæ à Romano solum Pontifice auferri posset, nec eâ vniquam absoluerentur vsque ad integram restitutionem. Prætereâ si forte in ea bona ius aliquod dominij obtinerent, illic ipsum amitterent. Quod si quis Ecclesiasticus illi noxam consensisset, præter sacrorum interdictionem spoliaretur possessis Sacerdotiis, ineptus ad illa impofterum obtinenda, ei que Ordinum vsus interdiceretur pro arbitratu Ordinarij. Optassent quidam, vt exprimeretur in eo capite inter delicta pœnis subiecta, nomen *Confidentia*. Ad id, ne in alia intempestiua litigia incideretur, prudenter responsum est, huiusmodi crimen satis comprehendi ab illis vocibus, *per supposititias personas*.

Abusus similiter sunt propositi (quamquam in Decreto ab eo 15
 probroso vocabulo Patres abstinuerint) qui variis in locis in Missæ sacrificium irreperant: ij prius fusè descripti, deinde in nouem capita redacti sunt. Verumtamen plerisque non videbatur pro dignitate Concilij descendere ad sanctiones adeo minutas, magisque priuata cuiusque Ordinarij curæ consentaneas, cum euenire posset, eas cunctis regionibus haud opportunas fore. Respondebant alij, Ex auctoritate Concilij plurimum venerationis ac roboris illis accessurum; quod verò ad singulares alicuius loci conditiones atinebat, satis consultum iri, traditâ Ordinariis facultate, vt earum executionem pro arbitrio temperarent. Vicit tamen sententia Aialæ Segouiensis Episcopi, vt in vnico Decreto ad tria solum capita restringerentur, ad Auaritiam, ad Irreuerentiam, & ad Superstitionem.

Ad

16 Ad arcendam auaritiã interdicta sunt pretia, mercedes, conuentiones, vt in rem nostram Sacrificia celebrarentur, vetitis quoque importunis eleëmofynæ perſionibus. Et quamquam fuiſſet animaduerſum, vſitatum ſubſidium celebrantibus non præberi pro Sacrificij pretio, ſed ad alimentum Sacerdotis, ex communi doctrina Scholaſticorum, Iuriſque ſacri Conſultorum, ac præſertim Abbatis Panormitani; fuit tamen qui ſuadebat, id eſſe prohibendum in illis Sacrificiis, quæ ob aliquem fortuitum euentum fiunt, & certo loco, certis que diebus haud alligantur. Sed ea ſententia aſſeclas non habuit.

17 Quò irreuerentiæ mederentur, præceptum eſt, ne permitteretur aut Sacrificij celebratio Clerico vago & ignoto, aut ei intereſſe liceret homini palàm criminoſo. Diſſertum eſt de arcendis publicis meretricibus, ſaltem abſoluto Euangelio; ſed executio grauioribus offenſionibus ſubiecta viſa eſt. Et quoniam functionis reuerentiæ plurimum confert loci maietas, priuatis in ædibus Sacrificij vſus fuit interdicitus, ſolumque permiſſus in templis, ſacrisque locis, cultui diuino deſtinatis, inſpectis deſignatisque ab Ordinario, adeoque vt antequam Sacrum inchoetur, ij qui adſunt, exteriori corporis formâ ritè compoſitâ, aſſiſtentis etiam animi pietatem præ ſe ferant. Prohibita eſt in cantibus & harmonia quæcumque laſciui atque impuri mixtura. Actum eſt etiam de remouenda omnino à Sacrificiis muſica; ſed plerique, ac præſertim Hiſpani, eam commendarunt, quippe ex antiquo tempore ab Eccleſia vſitatum, atque ad infundendos ſuauiſſime in animos pietatis ſenſus aptam, dummodò tenor cantilenæ, & verborum ſententia religionem ſonent, & alter alterius intelligentiam non impediatur. Præſcriptum quoque fuit, vt à Sacrificio longè abeſſent profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, adeò vt Domus Dei verè dici poſſit *Domus orationis*.

18 Ad ſuperſtitionem tollendam vetiti ſunt Sacerdotes operari Sacris extra horas conſuetas, aut aliis ritibus quàm receptis ac ſolitis in Eccleſia, atque vti certo quodam Miſſarum aut candelarum numero. Iniunctum quoque, vt doceretur populus, quis eſſet, & vnde proueniret Sacrificij fructus; ac per eam opportunitatem admoneretur etiam de frequentandis Parœciis ſuis, ſaltem diebus Dominicis, Feſtisque maioribus. Primò complures propendebant ad eas Miſſas interdicens, quæ vulgò *Siccæ* nuncupantur, hoc eſt, cum adhibitis ceteris precatationibus ritibusque, minimè conſecratur; ſed poſteà mutatum eſt conſilium, auctore potiffimùm Draſcouizio,

1562. zio, cum animaduersum esset, in nauigationibus, aliisque rerum conditionibus, cum Sacerdotis, vel sacrae suppellectilis defectu sacrificare non licet, eam aspectabilem Sacrificij expressionem plurimum conferre ad excitandam in animis pietatem, qui ut etiam supra sensus euehantur, sensibus indigent.

Adiectum est præter res expositas, Ordinariis facultatem tribui, tamquam à Sede Apostolica delegatis, statuendi quidquid in ea re consentaneum putarent, obstringendi que populos censuris, tamen privilegia & appellationes obstarent.

Quamquam cælum incorruptionis expertus sit, nihil est in terris tam pronum ad corruptionem, quam quæ maximè cælestia sunt.

C A P V T VII.

Complurium Episcoporum querimonia ob leuia de disciplina Decreta. Variæ suspiciones ex proximo Gallorum Præsulum aduentu. Postulata Gallie Oratorum, Tridenti ac Romæ interposita, ad retardandas sanctiones, illic reiecta, hic Præsulum arbitrio remissa. Pares Casarianorum petitiones. Legatorum consilium. Noua propositionis forma parata de Calicis concessione.

QUÆ de reformanda disciplina fuerant proposita, per se quidem haud grandia, multò magis decreuerunt eorum oculis qui aut abundantiam voluntatis, aut penuriam experientiae ab amplissimo illo conuentu paucos intra dies aliam hierarchiam, alium rerum ordinem sibi sponponderant, ac tenuiora postmodum euaserunt, recisis tribus præcipuis memoratis capitibus. Neque videbatur, post tot menses, ac tot Sessiones, tandem aliquando à Concilio gressibus quasi pueri debilis timidique esse incedendum. Accidit itaque^a, ut ea in confesso compluribus irrisionis potius indignationisque, quam examinis argumentum extiterint. Certior ea de re factus est Borromæus per arcanas notas à Vicecomite^b, ac liberius per communes litteras à Legatis^c, fortasse quò Pontifex famæ zelotypiâ, quæ affectio plus quam in ceteros dominatur in Principes, imponeret Simonettæ, præcipuo illius ædificij architecto, ut inciperet ipsum supra solum attollere, nec materiam præberet adagio, *Qui serò dat, diu non vult*. Qui liberius acriusque obloquebantur, erant Transmontani cuiusuis regionis, quippe quibus

^a Præter alias scripturas epistola Adriensis Archiep. 24. Septemb. 1562.
^b 16. Sept. 1562.
^c 13. Sept. 1562.